



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor
Angelicvs cum Melliflvo,)**

Schweitzer, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.

Dubium decimum-quintum. An Adamo non peccante posterius ejus fuissent confirmati in justitia ab initio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39320

Objicies tertio: Semen in homine est quid superfluum; ergo non fuisset in statu innocentiae; ac proinde nulla generatio. Probatur consequentia, quia superfluitates illæ corporis humani habent adjunctam impuritatem & foeditatem, ut patet in excrementis & urina. Respondeo distinguendo antecedens: Est superfluum individuo, concedo; speciei, nego antecedens & consequentiam, & ad probationem dico, superfluitates, quæ provenissent ex nutrimenti impuritate, non futuras fuisse cum tanto foetore & foeditate cum quanto ejiciuntur in hoc statu.



D V B I U M X V.

An, Adamo non peccante, posteri ejus fuissent confirmati in Justitia ab initio, secundum S. Augustinum?

Suppono, Adamo non peccante, natos fuisse omnes in Justitia originali. Hoc enim docet S. Augustinus, ut patebit ex probatione prima conclusionis. Et S. Thomas I, p. qu. 109 a. 1. Neque ex hoc sequitur, Justitiam fuisse naturalem, cum non fuisset transfusa per virtutem seminis, sed à Deo post animæ ipsius cum corpore unionem infusa.

Du-

Duplex est sententia de confirmatione posterorum in iustitia. Prima affirmat, cui favere videntur aliqui ex Patribus, signanter S. Anselmus lib. I. Cur Deus homo c. 13, & Gregorius lib. 4. moral. c. 36. Secunda negat, cui favent alii SS. Patres, quæritur, cui faveat Augustinus.

Respondeo & dico. S. Doctorem adhæsisse negativæ. Probatur: quia secundum sanctum Augustinum, Adamo non peccante, posteri ejus peccare potuissent; ergo non fuissent ab initio confirmati in gratia. Consequentia patet, Antecedens probatur: quia lib. 14. de Civ. c. 10. ait: *Quam igitur foelices erant primi homines - - - tam foelix univèrsa societas esset humana, si nec illi malum, quod etiam in posteros trañcerent, nec quisquam ex eorum stirpe committeret, quæ damnationem reciperet. Atque ista permanente foelicitate, donec per illam benedictionem, quæ dictum est, Crescite & multiplicamini, prædestinatorum sanctorum numerus compleretur, alia major daretur, quæ beatissimis Angelis data est: ubi jam esset certa securitas peccaturum neminem, moriturumque neminem &c. Dicit S. Pater, si nec illi iniquitatem committerent & foelicitatem beatorum tantum esse, ita securam ut nemo sit peccaturus: ergo sensit, sicut potuerunt peccare primi homines, ita posteros potuisse peccare, etsi illi non peccassent.*

Confirmatur. Quia lib. 9. de Gen. ad litt. c. 3. dicit, quod si primi homines, eorumque posteri justè & obedienter vixissent, fuissent, certo numero completo, sine ulla morte translati ad gloriam; ac proinde satis infinuat, quod